

quæ erant tantum præfigurativa Dominicæ passionis.

Ad 3, dicendum, quod sacramentum istud fuit institutum in cœna, ut in futurum esset memoriale Dominicæ passionis, ea perfecta. Unde signanter dicit: *Hæc quotiescumque feceritis, de futuro loquens.*

Ad 4, dicendum, quod institutio respondet ordini intentionis. Sacramentum autem Eucharistiæ, quamvis sit posterius baptismo in perceptione, est tamen prius intentione. Et ideo debuit prius institui. Vel potest dici, quod baptismus jam erat aliquantulum institutus in ipso Christi baptismo, unde et jam aliqui ipso Christi baptismo erant baptizati, ut legitur Joan. 3.

COMMENTARIUS.

1. Quanquam videatur D. Thom. proponere absolutam quæstionem de convenientia hujus institutionis, re tamen vera solum agit de circumstantia temporis, in quo illa institutio facta est, et merito, tum quia hoc proprie pertinet ad quæstionem, An est, quam in hac quæstione versat; tum quia de convenientia ipsius institutionis in communi jam supra dixerat; in particulari vero de convenientia materiæ et formæ, et præcipui mysterii hujus sacramenti, scilicet realis præsentia corporis Christi, infra propriis locis dicturus est. Respondet igitur convenientissime instituisse Christum hoc sacramentum in ultima cœna, cum jam suæ passioni et morti esset vicinus, quod tribus rationibus ex sanctis Patribus depromptis elegantissime et clarissime confirmat; neque ejus littera majori indiget expositione; ut res autem magis intelligatur, propriam de ea instituemus disputationem.

2. Solutiones argumentorum faciles sunt, præsertim solutio ad 4; in solut. vero ad 2 sunt illa verba difficilia: Eucharistia est sacramentum perfectum, tanquam continens Christum passum, et ideo non potuit institui ante incarnationem. Sed quia de hac re infra sum ex professo disputaturus, hic solum quoad mentem D. Thom. existimandum non est illum loqui de potentia absoluta, propter solam realem Christi præsentiam; id enim esset improbabile, ut prædicto loco quæst. 75 ostendam. Et non est necessarium ad intentionem D. Thom. hic, ubi non de possibili absolute, sed de eo, quod fuit conveniens, tractat; mens ergo D. Thom. fuit docere, primo sacramentum hoc, ut est signum rei

præteritæ, scilicet passionis Christi, non potuisse institui, ut esset in usu ante ipsam passionem, quia fuisset falsa significatio. Secundo, si consideretur forma hujus sacramenti, quatenus designat personam Christi subsistentem in natura humana, et per eam loquentem, ut in rigore significant illa verba: *Hoc est corpus meum*, sic impossibile esse intelligere institutionem talis sacramenti, cum eadem forma et significatione, antequam Christus in suo corpore existeret, quia non potuisset, illud relativum, *meum*, referre eodem modo corpus Christi; potuisset tamen hoc sacramentum, quatenus est quodammodo mysterium realiter continens corpus et sanguinem Christi sub speciebus panis et vini, ex Dei potentia et voluntate institui ante naturalem existentiam humanitatis Christi, absque illa præcisa verborum forma, vel significatione rei præteritæ; in hoc enim nulla contradictio involvitur. De solutione ad 3 inferius dicemus. In solutione ad quartum breviter advertatur, secundam solutionem esse veram et propriam; certum est enim sacramentum baptismi prius tempore institutum esse, quam sacramentum Eucharistiæ, quamvis præceptum baptismi post Christi mortem datum fuerit, ut supra in proprio loco tractatum est.

DISPUTATIO XLI.

DE TEMPORE INSTITUTIONIS HUIUS SACRAMENTI.

Tertia disputatio de Eucharistia. — Multa possunt sub hoc titulo comprehendere, quorum resolutio ex materia de incarnatione facile constat, supposito uno principio fidei, scilicet Christum instituisse hoc sacramentum in nocte cœnæ, pridie quam pateretur, prout definitum est a Clemente V, cum Conc. Vienne, in Clement. de Reliquiis et veneratione Sanctorum, et a Conc. Trid., sess. 43, c. 1 et 2, ubi dicit, hanc esse antiquorum Patrum traditionem; nam Mat. 26, Marc. 14, Lucæ 22, dicitur, tunc Christum consecrasse panem et vinum, suisque discipulis tradidisse, et præterea addidisse illa verba: *Hoc facite in meam commemorationem*. Per quæ dedit Apostolis, et eorum in sacerdotio successoribus potestatem et mandatum illud conficiendi, et distribuendi fidelibus. Unde aperte colligitur non effecisse illud opus, tanquam unum ex aliis miraculis, quod ipse solus in sua persona effecit; sed instituisse illud in sacramentum

perpetuo in Ecclesia mansurum; constat etiam non instituisse illud antea, et tunc illo fuisse usum, sed illam fuisse primam institutionem, primumque usum hujus sacramenti, non solum quia nulla mentio talis institutionis ex Evangelio, vel ex alia traditione habetur; nam licet Joan. 6, hoc sacramentum fuerit promissum, nunquam tamen ante cœnam legitur exhibitum; sed etiam, quia ex modo narrationis, et verbis Evangelistarum satis constat factum illud fuisse novum, et nunquam antea a Christo usitatum; constat ergo tunc primum factam esse institutionem; nam ibi fuit designata materia et forma hujus sacramenti, et data potestas illud conficiendi verbis illis: *Hoc facite in meam commemorationem*, ut explicuit Concil. Trident., sess. 22, can. 2; unde ex tunc etiam cœpit habere vim promissio facta a Christo, Joan. 6, de effectu et gratia per hoc sacramentum conferenda; illa enim ad tempus futuræ institutionis referebatur; qua facta, cœpit quasi obligare, imo in institutione quodammodo includi; institutum enim est hoc sacramentum, ut memoriale passionis Christi, et signum efficax gratiæ, verusque animarum cibus.

Ex hoc principio facile definiri potest, quo anno, mense et die institutum fuerit hoc sacramentum; constat enim institutum esse inchoato ultimo anno vitæ Christi, qui (ut ego opinor) fuit trigesimus quartus, licet aliquorum probabilis opinio sit, fuisse trigesimum tertium; aliæ enim opiniones non sunt probabiles. Deinde etiam constat factam esse institutionem, primo mense lunari, qui juxta computationem Judæorum incipiebat in prima luna post æquinoctium vernale, qui est apud nos mensis, qui dicitur Martius, quamvis interdum partem aliquam etiam mensis Aprilis sub se complectatur. Denique constat etiam (ut existimo) sacramentum hoc institutum esse 14 luna illius mensis; nam in illa, juxta legem Moysis cœnandus erat agnus Paschalis, in qua cœna, ut dixi, hæc institutio facta est; quod enim Christus ritum illius legis observaverit, et eadem nocte, qua alii Judæi, cœnaverit, latissime in proprio loco ostendi supra, quæst. 46. Tria igitur solum possunt hoc loco desiderari. Primum, in qua parte temporis illius decimæ quartæ lunæ Christus cum Apostolis cœnaverit, et hoc sacramentum instituerit. Secundum est, quo tempore cœnæ, seu quo ordine, respectu aliarum rerum, quæ in cœna gestæ sunt, atque adeo qua hora noctis institutum fuerit hoc sacra-

mentum. Tertium est, quæ fuerit ratio hujus institutionis, id est, cur fuerit in illam noctem ultimæ cœnæ reservata.

SECTIO I.

Utrum Christus instituerit hoc sacramentum 14 luna ad exitum tendente, et 15 inchoante.

1. Quæstio hæc definita etiam est ex principio posito, quod Christus instituit hoc sacramentum eadem nocte, qua ultimam legalem cœnam perfecit, adjuncto alio principio a nobis etiam posito supra citata, quæst. 46, disp. 40, sect. 2 et 3, ubi ostendimus, juxta præscriptum legis veteris, Phase fuisse comedendum in fine decimæ quartæ lunæ, et initio decimæ quintæ; atque eodem tempore fuisse a Christo Domino ultimam cœnam peractam. Nihilominus tamen, quia post editionem præcedentis tomi nova quædam controversia inter doctos viros exorta est, quorum scripta, vel tunc evulgata non fuerant, vel ad manus nostras non pervenerant, ideo ea diligentius hoc loco inquirere et examinare decrevi.

2. Consistit autem punctus difficultatis in expositione illorum verborum Exod. 12: *Et servabitis eum*, (id est, agnum) *usque ad quartam decimam diem mensis hujus; immobilisque eum universa multitudo filiorum Israel, ad vesperam; et difficultas est in illa particula, ad vesperam, an de priori, quæ erat principium diei decimæ quartæ, vel de posteriori, quæ finis erat ejusdem, sit intelligenda.* Hebræi enim dies suos (præsertim in ordine ad suas festivitates vel solemnitates) a vespera usque ad vesperam computabant, juxta illud Levit. 23: *A vespera usque ad vesperam celebrabitis sabbatha vestra; dies autem ille decimus quartus, quamvis festivus non esset, tamen ob solemnem ritum Phase erat celebris, ac venerabilis; ideoque eodem modo a vespera incipiebat, et in alia vespera finiebatur; complectebatur ergo duas vesperras, priorem, et posteriorem; et ideo ambiguum relinquitur, de qua earum intelligendum sit supra positum præceptum.* De hac ergo quæstione breve opusculum edidit sapientissimus Magister meus Luysius Legionensis, quod de utriusque agni, typici, atque veri, immolationis legitimo tempore inscripsit; in quo demonstrasse se existimavit, de priori et non de posteriori vespera esse intelligendum; sententiamque tam constanter defendit, ut contrariam, quanquam communem et an-

tiquam esse fateatur, ex vulgari errore ortam esse, initiumque et occasionem plurium aliorum errorum fuisse, affirmet. Hanc opinionem secutus est ex parte Petr. Lopez de Montoya, lib. Annot. in sacrum Can. Missæ. Fundamenta sunt. Primum, quia error prædictus (ut ipse ait) inde ortus est, quod vulgo diei vesperam, postremam diei partem esse omnes intelligunt; eo quod nostri dies noctu terminantur; est autem magnus error, inquit, de nostra consuetudine dies Hebræorum computare, cum illi a vespera oriuntur, et subsequente mane clauderentur ante vesperam subsequentem; ab illa enim jam dies insequeus incipiebat; ergo, cum agnus in vespera decimæ quartæ diei immolari præciperetur, ea ineunte immolandum erat, quia vespera non finem, sed initium diei significabat.

3. Secundum ac præcipuum argumentum conficit in hunc modum, quia eo tempore immolabatur ab Hebræis paschalis agnus, quo primum in Ægypto fuit ab eisdem immolatus; sed tunc immolarunt illum ineunte decima quarta die; ergo illud fuit semper legitimum tempus illius celebritatis; consequentia est evidens, et major certissima ex c. 12 Exod., et ex fine illius præcepti et sacrificii introducti in memoriam beneficii ea nocte suscepti, quando Angelus transiens percutiebat primogenitos Ægyptiorum, filios autem et domos Hebræorum transiliebat propter sanguinis agni, quo domus Hebræorum erant intinctæ. Minor vero probatur primo ex Josepho, lib. 2 Antiq., cap. 5, in verbo illo: *Appetente autem (ut ipse vertit, Græce enim ἐσθιάσης legitur) decima quarta die omnes ad iter accincti sacrificabant, et sanguine domos lustrarunt.* Secundo ex Scriptura; nam Hebræi dicuntur egressi de Ægypto, quando egressi sunt de Ramesse Ægypti, juxta illud Exod. 12: *Profectique sunt filii Israel de Ramesse in Socoth.* Sed de Ramesse egressi sunt noctu, sole occidente, in fine decimæ quartæ lunæ, inchoante jam decima quinta; ergo non potuerunt eadem nocte Phase celebrare; ergo celebraverant illud antecedente nocte, initio lunæ decimæ quartæ. Minor probatur quoad singulas partes; nam quod Hebræi noctu egressi fuerint de Ægypto, expresse legitur Exod. 12: *Nox ista est observabilis Domino, quando eduxit eos de terra Ægypti.* Quod vero id fuerit in initio noctis, occidente sole, additur Deuter. 16: *Immolabis Phase vespere ad solis occasum, quando egressus es de Ægypto.* Quod Phase (ut hic

auctor existimat) non erat agnus paschalis, sed aliud sacrificium ex ovibus, et de bobus, ut ibidem dicitur, et ex Num. 28 colligitur. Quod vero illa nox egressionis de Ægypto fuerit finis decimæ quartæ lunæ, et initium decimæ quintæ, constat aperte ex Num. 33: *Profectique sunt de Ramesse mense primo, quinta decima die mensis primi.* Unde dici non potest, Hebræos fuisse egressos post occasum solis, finito jam die decimo quinto; alias non essent egressi die decimo quinto, sed decimo sexto; ergo necesse est dicere fuisse egressos occidente sole, in initio diei decimæ quintæ. Atque hinc necessario concluditur prior consequentia, scilicet, non celebrasse eadem nocte Phase, quia Phase comederunt noctu, post occasum solis in propriis domibus, ex quibus jussi sunt non egredi tota illa nocte, in cujus medio Angelus pertransivit, interficiens primogenitos Ægyptiorum, ut refertur Exod. 12. Unde tandem patet ultima consequentia, necessarium scilicet fuisse, ut nocte proxime antecedente, quæ fuit initium decimæ quartæ diei, agnum cœnaverint; atque ita unum fere naturalem diem, inter noctem cœnæ agni, et egressionis ex Ægypto, intercessisse. Quod etiam videtur aperte scripsisse Moyses Num. 33: *Profecti de Ramesse in mense primo, in 15 die mensis primi, altera die a Phase, filii Israel in manu excelsa videntibus cunctis Ægyptiis, et sepe-lientibus primogenitos, quos percusserat Dominus; nam et in diis eorum exercuerat ultionem.* Et quanquam Scriptura non tam aperte id diceret, res ipsæ quæ gestæ leguntur ab esu agni, usque ad egressionem de Ægypto, illud tempus ut minimum requirunt. Nam post cœnatum agnum tota illa nocte usque ad ortum diei infra domos suas perstiterunt, juxta illud Exod. 12: *Nullus vestrum egrediatur ostium domus suæ usque mane.* Postea vero (hortantibus Ægyptiis) post lucis ortum cœperunt omnes Hebræi ex omnibus vicis, in quibus habitabant, congregari in Ramesse, ut inde simul exirent. Nam, ut dicitur Exod. 12: *Profecti sunt de Ramesse sexcenta fere millia peditum virorum absque parvulis, et mulieribus; sed et vulgus promiscuum innumerabile ascendit cum eis; oves et armenta, et animantia diversi generis multo nimis.* Tanta autem multitudo non poterat prius simul ibi habitare; ergo necesse fuit ibi denuo congregari; ergo, ut minimum, necessarius fuit dies integer, ut possent in eum locum convenire. Addere etiam possumus

(quod Exod. 12 legitur) filios Israel petisse ab Ægyptiis vasa argentea et aurea, vestemque plurimam, etc. Quod non potuit nocturno tempore, et post mediam noctem fieri; factum est ergo diurno tempore inter duas noctes immolationis et egressionis.

4. Tertium argumentum sumit ex facto Christi Domini, cujus occasione quæstionem hanc in præsentem tractamus; nam Christus celebravit ultimam cœnam legalem legitimo tempore a lege præscripto, quando totus populus agnum comedit; sed Christus cœnavit cum discipulis in priori vespera decimæ quartæ inchoantis lunæ; ergo illud erat legitimum tempus celebrandi Phase. Majorem nunc supponimus, quia certissimam esse existimamus, ut superiori tomo diximus; minorem vero probat, quia Christus crucifixus est proximo die artificiali, seu proxima luce, post noctem cœnæ, ut ex Evangelio constat; non fuit autem crucifixus decima quinta die, quia erat festiva et sollemnis in qua Hebræis non licebat judicia exercere; ergo fuit crucifixus decima quarta currente, quæ erat parasceve Paschæ, ut dicitur Joan. 19; cœnaverat ergo eadem decima quarta luna inchoante. Atque hoc modo melius respondet figuratum figuræ, quia nimirum eadem die decima quarta, quamvis non eadem hora, qua immolabatur agnus, crucifixus est Christus. Unde tandem juxta hanc sententiam conficitur, typicum Eucharistiæ sacrificium eadem decima quarta luna inchoante ad vesperam institutum, atque oblatum esse, quia eadem nocte, paulo post cœnam legalem, sacrosanctum Eucharistiæ mysterium peractum est.

5. Hæc sententia, quamvis ingeniose quidem, et magna probabilitatis specie confirmata, non minus nunc mihi displicet, et falsa esse videtur, quam in præcedente tomo visa fuit; atque idem iudicium fuit Patris Francisci Ribera in opere de Templo et his quæ ad ipsum pertinent, lib. 5, c. 3; Sebastianus etiam Episcopus Oxomensis explicans hanc eandem D. Thom. quæstionem, art. 5 et seq., q. de Azymo, num. 20, contrariam sententiam tanquam certam sine disputatione, quamvis non sine sufficiente probatione affirmat. Dicendum est ergo, Christum Dominum ultimam cœnam legalem peregrisse in posteriori vespera decimæ quartæ diei, quæ erat illius finis, et initium decimæ quintæ, tempore nimirum a lege præscripto, et tunc etiam Eucharistiæ mysterium institutum esse. Hanc sententiam probavi in citato loco, sacræ Scripturæ,

et veterum auctoritate; et in summa fere nihil addendum occurrit; sed oportet illa eadem amplius explicare, roborare, et defendere. Prima ergo probatio, quæ ex Scriptura sumitur, et mea sententia evidens est, fundatur in hoc, quod lex Exod. 12, Levitic. 23, Num. 28, solum septem dies azymorum observare præciperat, qui ab eadem vespera, in qua agnus comeditur, incipiebant, et in ultima vespera vigesimæ primæ diei ejusdem mensis finiebantur. Unde necessario concluditur vesperam, in qua incipiebant dies azymorum, fuisse finem decimæ quartæ lunæ, et initium decimæ quintæ, quia ab illo die usque ad vigesimum primum inclusive septem numerantur dies; sed esus agni et azymi dies simul incipiebant; ergo agnus comeditur eadem vespera, quæ erat initium decimæ quintæ lunæ, et finis decimæ quartæ.

6. Ad hanc rationem respondet late Aloysius, et in summa negat, dies azymorum proprie dictos incepisse simul cum esu agni, sed postridie in prima vespera sequentis diei; nam initio decimæ quartæ lunæ, quando comeditur agnus, prohibebatur fermentum solum in ipsa cœna legali agni, non tamen in reliquo tempore illius diei decimi quarti, in quo non erat prohibitum adhibere fermentatum panem ad alias communes epulas; et ideo dies illa decima quarta non erat simpliciter dies azymorum, sed tantum secundum quid, scilicet quoad sacramentalem actum cœnæ legalis; septem autem dies azymorum, qui in Scriptura numerantur, intelliguntur de azymis simpliciter, in quibus, quoad omnem cibum, fermentum erat prohibitum. Unde, si in communi loquamur de diebus azymorum, sive simpliciter, sive secundum quid, non veretur hic auctor concedere fuisse octo; putatque esse sententiam Josephi, lib. 2 Antiquit., cap. 5. Hanc vero azymorum distinctionem, et sacræ Scripturæ interpretandæ rationem merito improbat Petrus Montoya; dicitque se scriptas misisse rationes suas ad prædictum Aloysium, illisque adeo ipsum permovisse, ut ei rescripserit, illam expositionem dierum azymorum sibi jam displicere; aliaque fuisse traditurum in secunda ejusdem libri editione, quam morte præventus perficere non potuit. Prima ratio est, quia dies ille, in quo immolabatur agnus, simpliciter vocatur in Scriptura primus dies azymorum; ergo simpliciter erat dies azymus, ita ut in eo esset omnino prohibitum fermentum; antecedens est expressum Marci 14: *Erat autem*

Pascha et azyma post biduum; incipiebant ergo simul Pascha et azyma simpliciter dictum; et expressius infra: *Primo die azymorum, quando Pascha immolabant*. Idem fere Matth. 26, et Luc. 12.

7. Videri autem possunt hæc Evangeliorum testimonia non convincere, quia in eis primus dies azymorum vocatur ipsamet decima quarta luna; nam eo die venerunt discipuli ad Christum interrogantes: *Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha?* ergo nondum inceperant dies simpliciter azymi; ergo necesse est, ut ibi dies azymorum latius sumantur. Sed in primis hoc argumentum fortius urgeri potest in contrariam sententiam; nam si agnus immolaretur in initio lunæ decimæ quartæ, necesse est, illa verba: *Ubi vis, paremus tibi comedere Pascha*, dicta esse ab Apostolis decima tertia ante meridiem, vel circum circa; nam saltem illud tempus necessarium erat ad parandum omnia necessaria ad cœnam agni sequente vespera futuram, et ita juxta hanc opinionem dies decimæ tertiæ lunæ vocaretur prima dies azymorum; et ita etiam in aliquo sensu essent novem dies azymorum; utrumque autem inauditum est. Deinde omnia quorundam Græcorum expositione, dicentium, primum diem azymorum ibi significare decimam quintam lunam, nondum præsentem, sed proxime instantem, concedo, decimam quartam lunam ibi appellari primum diem azymorum; hoc autem nihil obstat argumento facto, quia omnino certum est, illam diem, de qua Evangelistæ loquuntur, juxta hanc expositionem non vocari diem azymorum propter aliquem usum panis azymi, qui vel in priori vespera ejusdem die præcessisset, vel in toto illo die observandus esset; sed solum, quia in fine illius diei naturalis inchoandus erat azymorum usus, quia tunc eo die, quo accesserunt discipuli ad Christum, nondum erat esus paschalis agnus, ante cujus esum non incipiebant panes azymi, nec simpliciter, nec secundum quid. Quomodocumque ergo exponatur ille primus dies azymorum, talis appellatur per respectum ad azyma simpliciter, quod in initio decimæ quintæ lunæ incipiebat; et ita juxta legalem, seu cæremonialem dierum computationem, decima quinta luna vocatur semper primus dies azymorum in veteri testamento, Exod. 12, Levit. 23, Num. 28; juxta naturalem vero dierum cursum, totum a parte denominando, decima quarta luna dicitur interdum prima dies

azymorum in Evangelio, ut etiam annotavi præcedente tomo, disput. 40, sect. 2, ubi in eodem sensu explicui supra citatum locum Josephi de octo diebus azymorum, ut scilicet de naturalibus, non de legalibus intelligatur; ita tamen ut omnes dicantur azymi simpliciter per respectum ad eandem observantiam et prohibitionem fermenti; nam revera hæc appellatio dierum azymorum magis in privatione et prohibitione fermenti, quam in positivo usu panis azymi consistebat, ut ex Deuter. 16, in loco citato præcedentis tomi, annotavi. Et confirmari hoc potest ex illis verbis Lucæ 22: *Appropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha*. Ubi certum est sermonem esse de die 15, et ideo de illo non dicit Evangelista: *Erat autem, sed: Appropinquabat autem*; neque eum tantum vocat diem azymorum, sed diem festum azymorum, quia non omnes dies azymorum erant festivi, sed solum primus et septimus ex his diebus, qui erant azymi simpliciter, ut est evidens in Scriptura; certum est autem, Lucam non loqui de die septimo; loquitur ergo de primo simpliciter azymo; et tamen illum dicit, appellatum esse Pascha, quia nimirum in initio ejus occidebatur Pascha, id est, agnus; sic enim ea voce utuntur Evangelistæ, et ipsemet Lucas paulo inferius.

8. Atque hinc satis probata relinquitur consequentia primi argumenti, tum quia ille dies non solum dicitur in Scriptura dies azymorum, sed etiam dies festus azymorum; quod non convenit, nisi primo dierum inter azymos simpliciter; nam ille auctor, qui finxit, fuisse alium priorem diem azymorum secundum quid, fatetur illum non fuisse diem festum; tum etiam quia in Scriptura nullum est vestigium illius distinctionis azymorum, secundum quid, et simpliciter; sed ubicumque de diebus azymorum loquitur, intelligit illos dies, in quibus erat prohibitum fermentatum; tum denique quia Exod. 12 satis aperte dicitur, a primo die fuisse prohibitum fermentum: *Septem, inquit, diebus azyma comedetis, in die primo non erit fermentum in domibus vestris, usque ad diem septimum*, etc.

9. Secundum argumentum sumitur ex traditione, ex qua constat, ab ea vespera, in qua præcipiebatur comedi agnus, fuisse simpliciter prohibitum fermentum, etiam in communi prandio et usu. Propterea enim Ecclesia Latina verius et certius existimat, Christum Dominum consecrasse in pane

azymo, quia consecravit in eo tempore, quo erat prohibitus fermentatus; hoc autem non aliunde colligit, nisi quia consecravit decima quarta luna ad vesperam, post inchoatam, vel etiam consummatam cœnam agni; ergo ab illa vespera erat simpliciter prohibitum fermentum, usque ad 21 diem. Et declaratur vis argumenti, nam, juxta priorem sententiam, post cœnam agni finitam, licebat uti fermentato in cœna usuali, sicut in quolibet alio communi prandio illius diei; Christus autem (ut infra ostendimus) consecravit Eucharistiam post finitam cœnam legalem, in usuali cœna, vel proxime ante illam; ergo, si jam tunc licebat uti fermentato, verisimilius est, Christum in fermentato pane consecrasse, vel saltem nullo sufficiente fundamento, sed ad summum probabili conjectura, potuit Latina Ecclesia credere confecisse in azymo. Adde ulterius non solum hunc fuisse semper sensum Ecclesiæ Latinæ, sed etiam Græcæ; nam propterea Græci existimarunt, Christum in fermentato consecrasse, quia crediderunt Christum uno die anticipasse legitimum tempus legalis cœnæ, in quo nondum erat prohibitum fermentum. Neque enim ipsi negarunt Christum et Apostolos in cœna legali usos fuisse pane azymo; illa enim cæremonia erat lege præscripta, et necessaria ad illud sacrificium peragendum; nec ulla fuit Christo occasio illam prætermittendi; tamen, quia Græci putant post illam cœnam licuisse ad fermentum redire, ideo existimant, Christum in fermentato consecrasse; atque ita contraria opinio dat Græcis quidquid ipsi desiderant ad suam opinionem; et discedit ab eis in eo, in quo ipsi cum Latina Ecclesia conveniunt, scilicet, juxta præscriptum legis non licuisse post cœnam agni redire ad fermentum, Christo autem id licuisse (addunt Græci) quia anticipavit tempus a lege præscriptum, in quo nondum obligabat prohibitio fermenti. Denique addo, non solum ex Latinorum et Græcorum, sed etiam ex traditione Hebræorum constare, simul cum azymis agni paschalis incepisse prohibitionem totius fermenti in domibus Judæorum; atque ideo nullam esse diem azymum secundum quid absque azymo simpliciter; antecedens patet ex traditione Hebræorum, quam ex principio libri Thalmudici, qui Pesachim, id est, Pascharum, inscribitur, refert Jansenius, cap. 144 Concordiæ; aiunt enim Hebræos ea nocte, qua agnum cœnabant, solitos fuisse inquirere fermentum ad lumen lu-

cernæ, eo quod existimarent, e domibus suis esse ejiciendum tanquam sibi prohibitum ab eo tempore; et eadem traditio potest sumi ex Josepho, loco statim citando. Tertio tandem in hujus veritatis confirmationem, expendere ac ponderare possumus verba Exod. 12, ubi primum præcipitur sacrificium agni cum omnibus cæremoniis ad illud pertinentibus, deinde præcipitur observatio festi azymorum per septem dies integros, a quarta decima die ad vesperam, usque ad vigesimam primam ad vesperam. In quo considero, eodem modo dici agnum fuisse immolandum decima quarta die ad vesperam, et azyma fuisse inchoandum decima quarta die ad vesperam; ubi evidenter est sermo de azyma simpliciter, quia est sermo de azyma septem diebus integris servando; ergo verba illa, *quarta decima die ad vesperam*, eodem modo sunt in utroque loco intelligenda; gratis enim, et sine ullo fundamento in uno loco de priori, in altero de posteriori vespera intelligerentur; ergo simul in eadem vespera comedebatur agnus, et incipiebat prohibitio fermenti et azyma simpliciter.

10. Atque ex hoc eodem testimonio evidenter, ut existimo, refelluntur duæ aliæ evasiones rationis factæ, quæ ex illo opusculo Petri Montoya sumi possunt. Primo enim respondet, concedi posse, observatos esse a Judæis octo dies azymorum integros et legales, tamen diversis rationibus et præceptis. Primus eorum erat decima quarta luna, a prima vespera usque ad finem diei, in quo comedebantur azymi panes propter esum agni in memoriam transitus Angeli percutientis; alii vero septem propter specialem solemnitatem azymorum, quæ incipiebat proxime post decimam quartam lunam, in principio decimæ quintæ, in memoriam egressionis de Ægypto, et azymorum panum, quos eodem die in Sohot comederunt. Et de hac tantum posteriori solemnitate loquitur Scripturam veterem, ubicumque numerat tantum septem dies azymorum, et eorum primum vocat celeberrimum, atque sanctissimum; quem semper dicit incipere decima quinta die, quæ fuit dies egressionis de Ægypto, ut constat Exod. 12 et 13, Levit. 23, Deuter. 16, Num. 28, quibus etiam locis fit mentio decimi quarti diei, tanquam diversæ solemnitatis, et observationis azymorum, ut patet ex illis verbis Num.: *Mense primo, 14 die, ad vesperam Phase Domini est, et quinta decima die, solemnitas azymorum*; et ex illis Exod. 12: